



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Ignatius Episc. M. 1. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

F E B R V A R I V S.

S. IGNATIUS EPISC. M.

I. Februarii.

IGNATIUS ex Joannis Apostoli scholâ docilis
 oppidò discipulus tam altè in pectus suum de-
 misit JESV amorem, ut hunc unum loqui lingua,
 hunc unum dictare animus sciret, illud unum de-
 nique in deliciis ei verbum esset, *Amor meus cruci-
 fixus est.* Certè quòd hunc ubique præ se ferret,
 gloriosum Theophori nomen reportavit. Illud
 quantum amantis animi robur fuit, cum sanctè
 audax omnia tormenta, omnes mortes unus unicus
 provocare in certamen non dubitavit; cum ad
 bestias damnatus, laborantibus ex hostili manu
 eripere Præsulem suum Christianis, solus nimirum
 ipse intercessit, DEI amore obtestatus, ne ad
 coronâ currenti obisterent. Et verò prægustasse,
 cum Romam iret, ferarum rabiem sibi ipsi visus
 est, in X. militibus, qui custodiæ causâ additi, us-
 que adeò hominè exuerant, ut familiari joco leo-
 pardos eos vocitârit. Jam caveis emissi leones
 horrendo rugitu theatrum compleverant, & ecce
 IGNATIO piè adhuc ludere placuit. Frumentum
 CHRISTI se dictitabat, gestire molaribus bestia-
 rum commoli, quò delicatus panis Superûm men-
 sâ apponeretur. Sed hem majus tibi miraculum!
 Elidunt fauces JESVM suum inclamanti ora cru-
 delia: tacere lingua cogitur *amores* suos; quid ex-
 pectas? frustra silentium linguæ imperatur, ubi
 cor est eloquens. In hoc siquidem disertis literis
 exaratum repererunt familiare illud linguæ JESV
 nomen;

nomen; breve quidem tam angusti monumenti,
sed longè pulcherrimum Epitaphium. Ex Sur. &
Metaphr.

*Electuarium habes reconditum in vasculo vocabulæ
hujus, quod est JESVS, salutiferum certè, quodq; nulli
unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in
sinu sit, semper in manu; quò tui omnes in JESVM sen-
sus dirigantur & actus. S. Bern. serm. 15. in Cant.*

S. EPHREM SYRUS. 1. Februarii.

FORTE fortunâ EPHREM puer in buculam of-
fendit fœtu gravidam. Hanc ubi crebrâ lapi-
datione confecit, dominum insuper ejus obvium,
& perquàm amicè de bove rogitantem convitiis
oneratum dimisit. Haud multò pòst cùm eandem
viam relegeret, deprehensus à tenebris, mapalibus
vicinis successit; noctu cùm lupi gregem diripuis-
sent, pastores damnum furibus adscripserunt, &
EPHREMVM velut proditorem vinctum ad Præto-
rem abduxerunt. Hic ille inter longam carceris
mortem cùm menses aliquot exegisset, à tutelari
demùm Angelo, revocatâ in memoriam buculâ,
edoctus est, errare quidè hominû subsellia posse,
sed non DEI etiam tribunal; ut quod de vero cri-
mine justissimas quandoque sub alienæ culpæ no-
mine pœnas exigat. Itaque cùm exiturû se mûn-
do vovisset, si carcere liceret, paulò pòst voti
damnatus in eremum contendit; illic cùm pro-
triti pudoris femina insidias castitati ejus tende-
ret, & innocentem animum ad infanda pellice-
ret; EPHREM piè callidus non difficilem se fore
ad simulavit, si in frequenti foro facinus parrare
animus ei esset. Erubuit quamvis impudens pro-
stibulum, & an, inquit, in oculis omnium peccare

non